



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXIV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 44rb-45rb  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 24 quaeritur utrum primus homo per potentiam liberii arbitrii posset peccatum vitare.

Videtur quod non, quia secundum Augustinus, De vera religione, natura humana etsi in illa integritate qua condita est remaneret, nullo tamen modo sine Creatore adiuvante seipsam praeservare, sed sua conservatio erat ut sine peccato remaneret. Ergo videtur quod liberum arbitrium peccatum non poterat vitare.

Praeterea. Per opus laudabile perficitur ad vitae meritum, sed vitare peccatum est opus laudabile; ergo si per liberum arbitrium possit vitare peccatum, per idem potuisset mereri; quod falsum est.

Contra. Nullum est imputandum qui facit quod vitare non potest. Sed homini imputandum est ad poena quod peccato non resistit; ergo per liberum arbitrium peccatum vitare possit. Quia in ista quaestione supponitur liberum arbitrium esse potentia, ideo sunt tria videnda: Primum est quod est potentia et non habitus; secundum est quod est potentia appetitiva non distincta a voluntate; tertio ostenditur quomodo primus homo poterat per liberum arbitrium peccatum vitare.

Quantum ad primum sciendum quod quamvis liberum arbitrium /44va/ secundum proprietatem vocali nominet actum quemdam, tamen secundum communem usum loquendi dicimus liberum arbitrium id quod est huius actus principium quo homo libere iudicat; principium autem actus in nobis est potentia et habitus dicimus enim cognoscere per scientiam et per potentiam intensivam oportet dici quod liberum arbitrium sit potentia vel habitus vel potentiam cum habitum. Hiis praemissis ostenditur quod nec sit habitus nec potentia cum habitum, quia si est habitus oportet quod sit habitus naturalis cum naturale sit homini habere liberum arbitrium. In nobis autem non est aliquis habitus naturalis respectu eorum quae subsunt liberi arbitrio; ergo liberum arbitrium non est habitus. Maior patet, minor declaratur, quia ad ea quorum habens habitus naturales naturaliter inclinamur ut patet in asserendo primis principiis, sed ea ad qua naturaliter inclinamur non subsunt libero arbitrio, ut patet de beatitudine; ergo respectu eorum quae sunt liberii arbitrii, non est in nobis aliquis habitus naturalis et sic liberum arbitrium non est habitus; oportet ergo quod sit potentia; sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod cum sit proprium liberii arbitrii eligere, quia ex hoc dicimus liberii arbitrii quod possumus unum accipere alio recusato quod est eligere; ideo cuius potentiae sit liberum arbitrium ex electione requirendum est. Ad electionem autem concurrunt aliquid ex parte cognoscitivae virtutis et aliquid ex parte appetitivae, ex parte quidem intellectivae requiritur consilium per quod iudicatur quid alteri sit praeferendum. Ex parte autem appetitivae quod appetendo acceptetur quod est per consilium iudicatum. Et ideo VI Ethicorum sub dubio reliquit Philosophus ad quam potentiam magis pertineat. Dicit enim quod est vel appetitus intellectivus vel intellectus appetitivus, tamen in III Ethicorum ad hoc magis declinat quod pertineat ad voluntatem, nominans electionem desiderium consiliabile et ratio est quia obiectum electionis est id quod est ad finem. Hoc autem in quantum huius rationem habet quod dicitur utile, unde cum bona in quantum huius sit obiectum appetitivus, sequitur quod electio sit principaliter actus appetitivus et quia eligere est actus liberii arbitrii; ideo ad voluntatem principaliter pertinet. Unde advertendum quod cum potentiae appetitivae sint proportionatae appetitivis, sicut ex parte appetitiva se habent intellectus et ratio sic ex parte appetitiva se habent voluntas et liberum arbitrium quod patet ex parte actuum eorum. Sicut enim





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXIV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 44rb-45rb  
transcribed by Andrea Colli

intelligere importat simplicem actionem alicuius rei ratiocinari autem proprie est devenire de uno in cognitionem alterius, ideo proprie principaliter intelligimus, sed de cognitionibus ratiocinamur, sic ex parte appetitus velle importat simplicem appetitum alicuius rei; ideo est de fine qui per se appetitur, sed eligere est appetere aliquid propter aliquid consequendum et ideo proprie est eorum qua sunt ad finem sicut autem se habet principium ad cognitionem, ita finis ad ea quae sunt ad finem; ergo manifestum est quod sicut se habet intellectus ad rationem, ita voluntas ad vim electivam sive ad liberum arbitrium. Sed certum est quod eiusdem potentiae est intelligere et ratiocinari, sicut eiusdem virtutis est quiescere et moveri; ergo eiusdem potentiae est velle et intelligere ; et sic patet secundum, scilicet quod una et eadem potentia est voluntas et liberum arbitrium.

Quantum ad tertium sciendum quod aliquis non possit peccatum vitare hoc potest contingere dupliciter: uno modo quod ad peccandum aliquis violenter impellatur et istud omnino repugnat libero arbitrio; alio modo quod liberum arbitrium ad malum inclinatur vel per habitum vitiosum vel per passionem aliquam cui liberum arbitrium succumbit. Sed neutro modo potest dici de primo homine quod peccatum vitare non possit, quia verum et integrum liberum arbitrium habebat quod repugnat violentiae. Iterum in eo non erant passiones aliqua impellentes ad peccatum neque aliqui habitus vitiosi, quia omnia illa consecuta sunt in eo per peccatum et ideo non solum habuit quod peccatio resistere posset, sed etiam quod facile potuit ipsum vitare etiam sine gratia, licet sine ea non potuisset mereri ut etiam dicit Thomas de vitiis quaestionibus de passionibus animae articulo VI solutione XII articuli ex quo peccatum eius fuit gravius.

Ad primum argumentum dicendum quod cum Deus in omnia natura operetur sicut causa prima in causis secundis, certum est quod sine sua influentia neque homo neque aliqua creatura posset operari , immo nec subsistere nec tamen propter hoc oportet quod indigeret ad vitandum peccatum aliquo dono suis naturalibus sunt addito.

Ad secundum dicendum quod non omnis actus laudabilis est virtute informatus, sicut sunt actus virtutes acquisitas causantes vel disponentes ad infusa etiam non omnis actus virtuosus est meritorius, se ille tantum quam informat virtus gratiae gratum /44vb/ facientis et caritati convictus.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis de conscientia quid sit utrum sit actus vel habitus vel potentia vel quid.

Responsio. Quia ista quaestio dependet ex ratione inferiori et superiori, ut patebit, et etiam ex ipsa synderesi, ideo in quaestione ista sunt tria videnda: primum quod ratio superior et inferior non sunt duae potentiae sed una et solum habent officia distincta; secundo ostenditur de synderesi quid sit; tertio ex hoc factibus patebit quid sit conscientia. In prima parte inveniunt quid sit ratio superior et inferior. Item quid synderesis inscripto aut qualiter actualis considerando ad conscientiam pertineat.

Quantum ad primum sciendum quod Augustinus dicit quod ratio superior est quae intendit aeternis conspiciendis quidem in quantum ea in se ipsis speculatur. Consulendis autem in quantum aeterna pro temporalia disponitur. Ratio autem inferior secundum ipsum est quae intendit temporalibus. Hoc autem duo sic se habent ad cognitionem nostram quod unum est medium cognoscendi alterum quia secundum via inventionis per res temporales venimus in cognitionem aeternorum secundum illud





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXIV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 44rb-45rb  
transcribed by Andrea Colli

Apostolus ad Romanos, idest invisibilia Dei per ea quae facta sunt, etc.; sed in via iudicii per aeterna iam cognita de temporalibus iudicamus, licet autem quandoque medium et id per quod ad medium pervenitur ad diversos pertineant habitus, ut patet de primis principiis quorum habitus intellectus et de cognitionibus, quibus respondet habitus scientiae super est eadem potentia rationis ad quam pertinet medium et ultimum. Cum enim idem sit mobile quod pertransiens medium pervenit ad terminum actus; actus autem rationis sic quidam motus perveniens de uno medio ad aliud, ut ad terminum, eadem erit potentia rationis per quam cognoscuntur temporalia et aeterna cum ista se habere aut ad invicem ut medium et terminus ad quem devenitur per medium. Sed ratione superiore cognoscuntur aeterna, ratione inferiori temporalia; ergo una et eadem potentia est ratio superior et inferior distincta tamen secundum diversos habitus et officia, nam superiori rationi attribuitur sapientia quae est de aeternis et inferiori scientia quae est de temporalibus.

Quantum ad secundum sciendum quod synderesis non est potentia, sed habitus quamvis quidam dixerint contrarium, eam scilicet esse altiore potentiam ratione, quidam vero diversarum causam ipsam rationem, non ut est ratio, sed ut est natura. Ad cuius evidentiam sciendum quod cum omnis motus praecedat ab aliquo immobili, ratiocinatio hominis cum sit quidam motus praecedit et pars dicitur ab intellectu aliquorum naturaliter motorum absque investigatione rationis tamquam a principio quodam immobili et ad intellectum etiam terminatur in quantum per principia per se naturaliter nota iudicamus de hiis quae ratiocinando invenius constat autem quod sicut ratio speculativa ratiocinatur de speciabus, ita practica de operationibus. Sicut igitur in nobis sunt aliqua principia specialium per se nota, ita oportet esse indita nobis principia operabilium per se nota, sed constat quod principia speculativa non pertinet ad una potentiam specialem sed pertinet ad habitum specialem, ut dicitur VI Ethicorum et ideo nec etiam principia operabilium per se pertinebunt ad specialem potentiam sed ad habitum specialem naturalem; ille autem habitus quo cognoscuntur prima principia operabilium est synderesis, cuius est instigare ad bonum et remurmurare malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, et iudicamus inventa et ideo ipsa synderesis non est potentia sed habitus naturalis, sic patet secundum.

Quantum ad tertium sciendum scilicet quod sit conscientia, quamvis de hoc fuerunt diversae opiniones modo tamen communis tenitur quod sic actus quidam quod patet ex nominis proprietate est enim conscientia quasi cum alio scientia; unde importat ordinem scientiae ad aliquid applicatio sive scientia ad aliquid habet fieri per aliquem actum, ideo conscientia aliquis actus est.

Ad evidentiam autem huius sciendum quod ut habetur VII Ethicorum, ratio in eligendis et fugiendis, syllogismo quodam utimur, sicut autem in syllogismo est triplex considerando secundum tres propositiones ibi existentes, ex quarum duabus tria concluditur; ita etiam contingit in proposito, cum ratio in operandis ex universalibus de partibus iudicium assumit. Et quia universalia principia iuris ad synderesim pertinent rationes autem magis appropriate ad opus, pertinent ad habitus, rationis inferioris et superioribus; ideo synderesis in hoc syllogismo maiorem ministrat; ratio autem superior et inferior minorem, sed conscientia conclusionem, verbi gratia in syllogismo operatio synderesis habeat /45ra/ proponit omne malum est vitandum, sed ratio superior adiungit adulterium est malum, quia lege Dei prohibitum vel inferior adulterium est malum, quia inhonestum vel iniustum; ergo conclusio quae